

certa, ut invitum idem argumentum tractandum suscipiam, nihil habens sive certius sive melius proferendum, quam quod ab iis, qui eandem spartam ante nos adornarunt, animadversum jam fuerit.

Grotius persuasum habuit, *Remphan* sive *Rhemvan* ipsum exprimeret Numen, quod in 4. Reg. 5. 18. Remnon appellatum est; namque vocali u in v consonum immutatâ, facillè in Hebræo legitur *Remvan*, nomen, ut ipse quidem opinatur, Planetæ Saturni apud Syros, pro *Remon*. Remnon apud Hebræos sonat, elevatio ejus, quod scilicet Saturnus Supremum locum apud Planetas teneat. Alii nomen *Rephan*, derivant ex Hebræo *Rapha*, quod sonat torpentem, solutum, fractum esse; Saturni scilicet cursus gravior est, minusque, quam cæterorum, expeditus. Capellius, Hammondus in Acta 7. 44. *Rephan* quemdam Ægypti Regem fuisse, post fata ab incolis consecratum arbitratur. Diodorus Siculus (u) Regem *Remphim* post Proteum statuit, sed divinis honoribus indignum planè eundem Principem exhibet, neque enim ulli alteri rei studebat magis, quam ut avaritiâ & dolo incautos deciperet, nihilque habebat antiquius, quam ut pecuniam cumularet, nec sanè in usum proborum hominum sive Deorum unquam impendendam.

Ludovicus de Dieu tanquam rarum ingenii sui & felix inventum ex Alphabeto quodam Cophito, Romam ad Scaligerum misso, deprehendisse se jactat, *Rephan* loco Saturni inter septem planetas accenseri; quare *Rephan* Numen esse Ægyptium autumat, Saturnum referens. Huic conjecturæ vocabulum etiam quadrat; *Reph* enim Arabibus est voracitas; quid autem Saturno voracius? Verùm Scripti hujus antiquitas tanta ne est, ut probet, Septuaginta ætate *Rephan* eundem fuisse Ægyptiis ac Saturnum? Facilius suscipiamur, Cophitos hanc significationem tenuisse à novis quibusdam Scriptoribus, quorum autoritas minor est, quam ut fidem extorqueat. Quod ad voracitatem spectat, Saturnus Ægyptiis filios vorasse suos nusquam legitur. Nihil igitur ex ea sententia certi.

Vossius *Rephan* vel, *Chevan*, aut *Chion*, de Luna interpretatur (x); de Luna, inquam, sine Sole nunquam vel rarè ad cultum propositâ; sicut & Isidi serè semper sociatur Osiris. Hebræum *Chion* & Græcum *Kion* columnam utrumque sonat; scitum est autem, apud Veteres columnas & hastas diu loco Numinum cultas (y); & potissimum Arabum Nomen *Alilat* [z] vel Luna habebatur; certumque ferunt, populos illos lapidem coluisse (a), qui non ineptè nomine *Chion*, basis, designaretur.

Si manus in Textum inferenda mihi esset, & nomini *Rephan*, sive *Chevan*, vel *Kion* literam substituere liceret, legere maluissem *Chimah*, quod etiam legitur Job 9. 9. & 38. 31. ubi Pleiades subeunte Vere exorientes eo nomine designantur. Astra illa appellantur in Job *delicia Chimah*, ex amœnitate facillè & deliciis ejus temporis. Syntaxis ejusdem Textus non facillè Ido-

lum nomine *Chion* expressum insinuare videtur; cum potius parvulam quandam aram vel basim simulacri designet. Nullum apud Prophetam Idoli expressum nomen legitur, nisi fortè Moloch; & illud etiam non peculiare est Numinis, sed dignitatis; sonat enim *Regem*: Et portalis tabernaculum Regi vestro, & basim imaginum vestrarum, sidus Deorum vestrorum.

Ita verò locum Sapientissimi plerique Interpretes exponunt (b). Hebræi in deserto Numinum suorum loculamenta sub velo pretiosissimi operis deferebant, quemadmodum nos Sanctorum loculos; horum autem Deorum simulacra basibus imposita erant, vestabanturque vel humeris hominum, vel curribus, vel in lectis instratis, quemadmodum supra exposuimus.

Alii tandem legunt in Hebræo (c) *Chevan* pro *Chion*, contententes designatum eo nomine Saturnum Arabum, & Syrorum; nec sanè negaverim, ipsum esse Saturni nomen apud Syros, Arabes, & Persas (d). Ex ea conjectura locus alteri datus est (e), *Rephan* apud Septuaginta ex mendo Amanuensium pro *Rephan* positum, transmutata K in P. Græcorum; quod ex similitudine literarum in nominibus maxime barbaris & incognitis accidisse facillè potuit. Septuaginta sive eorum Amanuenses ph pro V consona sustituerunt, quemadmodum accidit sæpè ut *Dafus* pro *Darus*, & *Sersus* pro *Servus* scriptum legatur. Sunt etiam qui ex altiori fonte, quam de Septuaginta, mendam derivantes suspicantur, Interpretes illos in Hebræis Exemplaribus loco *Chevan* vel *Chion* legisse *Rephan*; quod factum possibile judicamus.

Nos facillè in eam sententiam concederemus, quæ *Rephan* vetus esse mendam, si picatur, sive ex mendosa lectione Textus Hebræici, quo Septuaginta usi sunt, sive ex Amanuensium incuriâ derivatum, qui alterum barbarum nomen loco alterius itidem barbari substituerunt. Nec nobis persuaderet sive nominis *Raiphah*, apud Arabes significatio, sive Cophtici Operis à Ludovico de Dieu laudati autoritas, quarum prior conjectura omnium levissima est; altera verò nihil probaretur, quoad apud veteres Ægyptios *Rephan* Saturnum designasse non demonstraretur. Quoad enim argumenta eâ de re desiderabuntur, nobis integrum erit suspicari, Cophtos nomen *Rephan* de Septuaginta deductum, Saturnum reddidisse, ex eo persuasos, quod Arabes & Syri de Saturno interpretantur Hebræum *Chevan* vel *Chion*, cujus loco Septuaginta *Rephan* substituerunt.

Altera conjectura, qua nobis suspectum nomen Dei *Rephan* efficitur, silentium est eâ de re Veterum; cum sub eo nomine nullum apud Ægyptios & Arabes Numen celebretur. Ignotum est etiam in universa Theologia Græcorum, Syrorum, & Chaldaeorum, quamquam alioqui Septuaginta eo tempore florerent, cujus historia nec prorsus latet, nec Ægyptiorum res Græcis Scriptoribus inexplorata. Profectò si de Moyse vel Amos ætate ageretur, al-

b Jun. Tremel. Pise. Hieron. in Amos 5. 26. Aqu. & Sym. Ipsum Hebræicum transserentes posuerunt Chion; Theodotio Amaurosin, id est obscuritatem. c Chion. sive Chevan. Ita Syr. d Chevan. Vide Abenezra, Kimchi, Ludov. de Dieu, Grot. Castell. Lexicon & maxime Potock. Lexic. fol. ult. e Drus. Merc. Vitring. Livell.

terioris indagine res esset; sed *Rephan* multò debuit quam *Chevan* recentius fuisse cum nihilominus lateat adèd nomen, ut nulla ejus memoria superferat.

Unum est quod à sententia in ea re proferenda nos remoratur, retinendumque persuaderet nomen Dei *Rephan*; autoritas nempe S. Stephani in Actis (f), qui Amos laudans, nomen illud usurpavit. Neque in animum induceremus, pravam lectionem secutum virum sanctissimum, cum maxime Divino Spiritu afflatus verba illa funderet. Sed his gemina opponimus: 1. Virum Sanctum Hebræicè, id est Syriacè, uti quidem suspicamus, Judæis in cœtu congregatis locutum, facillè *Chevan*, ut est in Textu Hebræo, non *Rephan* habuisse. 2. S. Lucam, cum literis ejusdem verbum mandaret, Versionem Septuaginta in laudandis Sacræ Scripturæ sententiis facillè sequutum; cum de re ageretur neque ad fidem neque ad mores conducente, & cujus totus error in literalâ transmutatione versaretur, designantis Pagani cuiusdam Numinis, sed obscurissimi nulliusque ad Religionem momenti nomen.

Nec inficias iverim, eundem Spiritum, quo olim afflante S. Stephanus loquebatur, scribenti S. Luca: adfuisse, quo docente poterat error Amanuensium demonstrari pariter & corrigi. Sed fac S. Scriptorem mendam deprehendisse; quid rem tam parvi momenti corrigendam persuadebat? Quoties etiam Deus nostris se præjudiciis accommodat? Nec rarè Versio laudatur imperfecta licet & mendosa, cui usus communis autoritatem utcumque conciliavit, maxime cum de re quapiam levioris momenti agitur. Quibus omnibus in utramque partem rectè ponderatis, fateamur oportet, depravationem Textus Septuaginta aptissime ad eam difficultatem expediendam in medium adduci potuisse, ubi pro *Rephan* legendum constituitur *Kion* sive *Chevan*.

Sed quis iste *Chevan* Syrorum, & Arabum? Si peculiare Dei nomen est, & non vox basim designans, ad Saturnum Ægyptium referendum censeo. Obtinuit enim ab ea gente in finitimos populos falsa Religionis superstitio, ut totius Idololatriæ non Arabiam tantum, Palestinam, & Syriam, sed Græciam etiam aggressæ Ægyptus parens extiterit (g). Porro Saturnus inter primos Ægypti Deos habetur. Sol omnium primus in ea provincia regnavit; dein Vulcanus; tertius Saturnus, qui ex Rhea sorore itidemque uxore genuit Osiridem, & Isidem, alio nomine Jovem & Junonem. Magnis bellis cum Baccho Rege Nyse Saturnus iste implicitus sinistra semper fortuna usus est (h).

Saturni Ægyptii figura nos latet; nullum enim vestigium extat ejus rei sive in nummis Ægyptiis, sive apud Authores. Si Græcorum Numen refereret, notior est. Si Græcorum Numen refereret, notior est. Quam ut hic exhibeat: si Saturnum Phœnicum, ita Numen describit Sanchoniaton apud Eusebium Præp. l. 1. num. 10. Quatuor oculis in capite instructus, duobus in anteriorem partem, duobus in po-

steriorem obversis, eo planè ordine, ut cum gemini ocluderentur, par alterum invigilaret, & vicissim. In humeris duo alarum paria, singula in singulis humeris surgebant, alterutris extensis alia demittebantur. Hæc omnia regiam illius dignitatem dotescque emblemate quodam exprimebant, attentam nempe ejus vigilantiam, providamque ejus in omnibus curam, ut præsto omnibus nullo sibi dato quiescendi spatio videretur. Præter hæc geminæ alæ caput ornabant, altera mentis ejus volutum sublimem, quo inferiora sibi omnia spectabat, altera ingenium vividum igneumque depingens. Sed Authoris ea scribentis fides est sublesta, cui proinde eo nomine suspicio creatur.

Nec dissimulemus oportet, Saturni nomen inter vetera Arabum Numina nusquam legi (i). Noti gentium Dii Dionysius, & Venus Cælestis (k); primum appellabant *Urorali* alteram *Alilat*. Nec altera utebantur Religione Alexandri Magni ætate; Rex enim ille ad expeditionem in Arabiam suscipiendam eo consilio adductus est, quod tertium se Numen apud gentes illas recipiendum cogitaret. Ex his autem in eam adducimur persuasionem, *Chevan*, si fortè Saturnum significet, & à Judæis, in itinere per desertum delatus constituitur, non quidem Arabum esse Saturnum, multoque etiam minus Phœnicum, & Syrorum, sed Saturnum Ægyptium. Quin potius, ut in superioribus demonstratum est, ea magis sententia arridet, quæ Apidem vel Osiridem, & Solem basi impositum & in ædicula collocatum simulacrum defendit.

Sermo est etiam apud Moysem de vitulo aureo, cui impensus ab Hebræis in deserto cultus, & de *Beelphegor* Deo Moabitum, in quem paulò ante ingressum in terram promissionis Judæi pariter inclinaverunt. Tandem narrat veluti per transitum, Israelitas hircorum Numini Sacrificiis litasse. Hæc in examen revocanda supersunt in dissertatione de Diis exoticis, quibus Hebræi in itinere per desertum votis & sacrificiis supplicarunt. In Commentario ad Exod. 32. de figura aurei vituli differimus, an totum exhiberet vituli simulacrum, an caput tantummodo, ut plures inter Patres visum est; an tandem homo esset vitulino capite, ut de Isidis simulacro refert Herodotus l. 2. c. 41. Expressum Numen ad effigiem Ægyptiacorum & Patres vulgò tenent, & S. Stephanus in Actis 7. 39. 40. insinuans reddisse illos corde in Ægyptum, & auream vitulum consecrasse exaggerans. Ad *Beelphegor* quod attinet, congestis de hoc argumento in Dissertatione de Chamis sive *Beelphegor*, nihil addendum succurrit.

Hirci sive pilosi sacrificiis in itinere per desertum & religione culti, nemine ambigente, Deum Pan referebant, quem scilicet Ægyptii Faunorum & Satyrorum apud Græcos more, hedînâ facie & hircinis pedibus representabant (l), quemadmodum nummorum fide certum discimus. Ad hæc omnia hirci etiam proferrebantur, cui potissimum Numini deferrebat

f. Act. 7. 43.

g Diodor. Sicul. lib. 1. p. 8. 9.

h Idem lib. 1. p. 143.

i Herod. l. 3. c. 8. k Strabo l. 16.

l Herod. l. 2. c. 46. Diod. l. 1. p. 55.

u Diod. l. 2.

x Vossius de Idololat. l. 2. cap. 23.

y Clemens Alexand. Protreptic. p. 29. 30. Eusebius l. 1. 2. Herodot. l. 3. c. 8. & lib. 1. cap. 131. a Clemens in Protrep. p. 29.

cives Mendefii, ut in nummis ejus gentis hirci figura cufis apparet. Plura nec sine horrore referenda de cultu illo in hi-

storia narrantur, quibus libenter parcimus. Hæc summa Judaica Religionis in itinere per desertum.

DISSERTATIO

DE PISCE JONAM VORANTE.

Historiam hinc agitandam suscipimus, quam temerario ausu cavillis suis elevandam increduli, quique vacua habent, ut ipsi quidem jactant, à præjudiciis mentem, aggressi sunt; & quasi de relata victoria sibi ipsis plaudentes, plenis buccis exaggerant absurda omnia, quæ in ejus lectione se deprehendisse gloriantur; exploratum tenere se jactantes, totam hanc de Jona tridui spatium in ventre ceti commorante fabellam meram esse parabolam, ad arbitrium rei alicui insinuandæ proculsam. Quam bellè omnia? homo vestibus implicatus, in mare defectus nec tamen demersus; vix enim aquas attingens, piscem ingentis gulæ hiatu sese excipientem nactus est, in cujus ventrem citra discrimen dilapsus, triduo veluti in custodia servatur est. Quantam hæc fidem, reposcunt, hominem in ventre ceti clausum vivere, nutrir, respirare potuisse; quin & preces Deo offerre, veluti in terro quodam carcere clausum, unde tandem effugium sperabat (a)? Cui autem bono hæc omnia? ut scilicet Propheta rebellis & jussionibus Divinis refractarius servetur, qui constitutum à Deo locum adire recusans, se se ab ejus aspectu fugâ subduxit. Ut quid tali viro servando tanta impendantur? Nimirum ut invitus licet, Ninive adire compellatur; quasi verò ad id officii prestandum nemo aptus in Judæa Propheta superesset. Si nihil unquam in historia fabellam subolet, hoc ceteris præferendum est. Ita olim Pagani; ita hodie quoque vere Religionis adversarii: Hoc genus questionis multo cachinno à Pagani graviter irritum animadverti, ait S. Augustinus Epist. 102. in quaest. 6. de Jona n. 30.

Verum jam inde à pluribus sæculis Religio Christiana super omnes impiorum cachinnos sese extulit, infidelium calumnias evertit, exsufflavitque. Profectò, ait S. Augustinus ibid. n. 31. tam arcto foedere omnia Scriptura miracula juncta sunt, ut aut omnia credenda non sint, aut hoc cur non credatur causa nulla sit. Minorem ne fidem exigit, Jonam triduo in ventre ceti vitam transegisse, quam Jesum Christum triduum in sepulchro egisse, ac dein sese in vitam asseruisse; sicut & Lazarum quadriduanum ad vitam ejus virtute revocatum venisse? An minoris operæ prodigium est, Jonam ex angustiis piscis eductum, quam ex ardenti fornace illæsos Hebræos

juvenes in Babylonia prodidisse?

Si nostræ ætatis sycophantæ omnibus æquè Scripturæ prodigiis fidem detraxerint, frustra pro isto laboramus, nec ejus autoritas nisi asserta divinitate Sacrorum Librorum demonstraretur. Si verò Scripturas recipere se, ejusque prodigia, nonnulla saltem, profiterentur, cur huic præ aliis fidem denegaverint, ipsis probandum incumbit. Præscribant illi terminos divinx potestatis & ad certum definiant, quid Deus maximè potuerit, quid ejus potentiam refugiat.

Neque in præsentia nos probandam veritatem & auctoritatem Scripturarum suscipimus; nimis enim longè evocemur, & frustrâ etiam, postquam eandem Spartam alii ante nos adornarunt. Quare eâ re tanquam certâ constitutâ, inquam sanè omnes convenerint, quibus nihil ambigitur sive de existentia Dei, sive de summa illius in omnia, quæ sibi planè non repugnaverint, potestate; eâ, inquam, re constitutâ, demonstrandum suscipimus, nihil esse in eo prodigio repugnans, neque divinæ naturæ adversum, quanquam leges Naturæ à Deo præstitutas longè superavit. Quo semel demonstrato, resultabit tandem, nullo jure detrahi historiæ fidei debuisse, quanquam non tanquam commune aliquod & vulgare factum, sed tanquam divinum prodigium & supra naturam rem asserit.

Profectò cum de prodigiis agitur, duo constituenda sunt, repugnantia quidem in speciem, re tamen amica, sine quibus vix ac ne vix quidem miraculum staret. 1. Demonstrandum est, rem illam præstitutas à natura leges ita excedere, ut fieri nunquam naturæ viribus potuerit. Illud idem, cui natura est impar, singularibus & supra naturæ ordinem legibus par extitisse. Porro vitam aliquo temporis spatium produxisse sub aquis Jonam, nullius prodigii res est; cum exempla in eam rem suppetant peritissimorum urinatorum, ad aliquas horas & longius etiam temporis spatium sub aquis veventium. Scripturæ quin etiam verbis intelligimus Jon. 2. 1. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, statim ac nimirum aquas subit; quare omne ab illo discrimen demerisionis subductum est, altero tamen subeunte, nempe ne voracis monstri ingluvie sive abroderetur, sive suffocaretur, sive tandem in ejus ventre liquefceret. Quanquam potuit & sine miraculo fieri, ut

ut integer neque dentibus comminutus in monstri ventrem influeret. Solent enim carnivora monstra vivam escam in ventrem transmittere, quemadmodum in lucis continuo experimento tenemus, ad quorum stomachum transmissi vivi quidam pisciculi adhuc palpitantes exenterato pisce apparent. Teste etiam Rondeleto, monstra quadam marina piscatu apprehensa sunt, integro homine & lorica armato in ventrem transmissa foeta. Vix etiam ambigitur, pisces esse aded immanes, integro homini in ventrem transmittendo partes. Totum igitur quod in præsentia operosiorum discussionem exigit, illud est, nimirum Jonam potuisse toto triduo noctibus etiam jandis vitam in ventre ceti egisse.

In ipso tamen limine operæ pretium est quesivisse, quisnam piscis ille Jona devorato insignis? varii enim eâ de re varia. Balænam communi suffragio recepta opinio præfert; id enim vox Evangelii cetus (b) plerumque significat; quanquam & de monstis quibusque interdum usurpatur. Hebræum *Dag Gadol* immanis piscis, idem sonat, ac Græcum Cetos, & Latinum Cetus, quæ vox æquè de immanibus quibusque piscibus, & cetaceis usurpatur. Porro Balæna immanissimus est omnium quot quot unquam noverimus, piscis marinus. Ejus gulæ aded immanis est hiatus, ut plures simul homines continere possit. Augustinus de Balæna quadam, cujus scheletrum Carthagine spectabatur, ait: *Quanto hiatu patebat os illud, quod veluti janua speluncae illius (nempe ventris) fuit?* Olaus Magnus de piscibus monstros. l. 2. c. 15. 16. author est, Balænas septentrionalium regionum tam vastas esse immani corpore moles, ut si quando vi tempestatis dejectas in sicco obire, ac deinde putrefcere contingerit, ossa immanis piscis, veluti rudera relicta à longè intuentibus tanquam vastæ aliquæ naves, vel amplæ quadam domus pluribus fenestris, & conclavibus familiæ non infrequenti continendæ instructæ, exhibeantur. Tradunt insuper, Balænas, cum tempestas ingruerit, catulos suos in gulam tanquam in arcem reducere, ut ab imminente discrimine in tutum reponant. Carent autem dentibus, ut nihil eâ de re detrimenti Jonæ timendum fuisset.

Profectò si de amplitudine esophagi, & stomachi argumentum ex oris hiatu capiendum est, magnam concipiamus oportet vastamque cavernam, quò ampla aded janua aditum præbeat. In ingenti illo immanique sacco duas, vel tres herbarum, cistas non rarè contineri narrant. Joannes Cabri Academicus Florentinus Balænam quandam ad Italiæ litora an. 1624. jactatam describit, aded vasto gulæ hiatu, ut vel equo assidentem virum commode transmitteret. Fatemur quidem, non in omnibus æquè locis similis generis monstra pelagum alere; sed non ignota sunt in Mediterraneo, & ad litora Phœnicia, ubi Jonæ historia contigit. Est igitur, cur Balæna stomachum subisse Prophetam suscipemur.

Dissert. Calmet Tom. I.

Quadrat etiam in eam sententiam illud, quod de Balæna narrant, herbis nimirum, sive maris spumâ, vel albenibus quibusdam pisciculis, ut halecibus, vel ejus generis insectis, quæ appellant pulices marinos, belluam victitare. Tradunt enim nunquam in ejus stomacho, cum cum pisce secari contigerit, reperiri grandiorum aliquem piscem; ut proinde mirari non subeat, si Jonas illæsus à calore intimo piscis, acidisque ventriculi humoribus servatus est; quæ enim solvendis tenuioribus cibis apta esse poterant, hæc incommodi aliquid viro asferre non poterant.

Hæc quamvis aliquem veritatis gustum sapere videantur, nihil tamen fidei extorquendæ apud nostros Criticos, & Naturalis Historiæ Scriptores valuerunt (c). Cum enim angustiori instructum esse gulam monstrum illud animadvertissent, eâ solâ ingestâ ratione plerosque à communi sententia abduxerunt. Contendunt nimirum illi, nihilo latiore esse monstri gulam, quam semipedis latitudine, minor sanè hiatus, quam ut homini transmittendo par sit. Sanctè testatur Bartholius, Balænas immanissimas licet, quarum sola lingua 18. olei dolia sufficiat, ægrè humanum brachium in guttur admittere.

Verum exploratum est, tunicam illam distendi plurimum posse, & mortui animalis esophagum angustiorum esse, quam viventis; cum maximè cibum capere, & ab eo, si forte majus aliquid voraretur, distendi contingerit. Si enim à solo aspectu judicium penderet, halecem piscem alterum æqualis ferè molis vorare potuisse quis crederet; cum tamen quotidiana rei experientia fieri id posse demonstrat?

Sed Recentiorum fidem sequamur. Arbitrantur illi, piscem Jonæ non balænam fuisse, sed alterum marinum monstrum, *canem carcarium* appellant, quatuor molarum ordinibus vel quinque in utraque mandibulâ instructum; molaribus sanè acutis in cuspidem desinentibus & nonnullis digito oblongis. Esophago & stomacho aded est amplo, ut homines integros aliquando continuissè confect. Ferunt in ventrem similis monstri insulisse Herculem armatum, ac triduo ibidem mansisse, nec antea in lucem solemque regressum, quam post exta ejusdem monstri dilacerata; nihil autem subisse illum incommodi ferunt, nisi quod ejus intimo calore aliquid in coma passus fuerit (d). Quis non agnoscat, hanc fabellam ex historia Jonæ derivari? Græci enim historiam à Phœnicibus facillè acceptam fabularum velaminibus occultarunt, missum narrantes à Neptuno *canem Tritonem* sive canem Marinum, ut Herculem devoraret; sed vir strenuus in fauces piscis armatus insiliens, post tridui moram piscem coegit viam pandere, quo innuimus stratagemate.

Hoc ceti genus *Iamiam* etiam appellant, de qua hæc ad nostrum intentum apud Naturales observet. Immane aded est monstrum, ut nonnulla 4000. librarum pondus æquent, & vix unum duplici equo vecto

LIII

c Vide Rondelet. Aldrov. Scalig. contra Cardan. Boet. de animal. sac. part. 2. lib. 5. c. 12. Druj. in Jon. c. 2. Bartholin. de morbis. Bibli. art. 14.

d Lycophron ad quem locum lege Tzetzes. Vide & Cyril. hic Gros. Bochart.

a Jonas. 2. 2. 3. c. 1. Oravit Jonas de ventre piscis, & ait: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum. c. 1.